

benignitas, ut neminem adstringit ad videndum, nisi quod evidens oculis, ita in re maximi momenti, intellectum non vult probabilibus inhærere, & per illa eundem ad assensum determinare immobilis: atqui rationes probabiles imo probabilissimæ, Notitia prudens & cognitio moraliter certa mentem humanam non convincit, non subigit, non ad assensum certissimum & infallibilem determinat, quousque non assurgit ad ἀποδείξεως ἐξοχήν eousque cum formidine oppositi est conjuncta. E. Producit 2. exemplum instantiæ loco. Si aliquis, ait, modo Christum negaret non propterea excusari non posset, quia evidentem illius rationem habere potuisset, sed quia fide & notitia prudenti potuisset credere: hoc scilicet est pus illud in certitudinis Papisticæ, & indicium lubricæ fidei, in illo tenebrarum regno luculentissimum, quæ se resolvit in veracitatem declamantis de pulpite & ambone, aut tandem, in auctoritatem præsentis Ecclesiæ Romanæ. Verum quam nihil hæc faciant ad rem, tum ex ipsa hypothese Papistarum, tum ex rei veritate constare potest, ex illa quidem, quia Pontificii fidem ut notitiam obscuram, quæ nitatur sola auctoritate revelantis contradistinguunt notitiæ per rationes acquisitæ, fatentur autem DEUM ut objectum cognoscibile per lumen naturæ non cadere sub fidem, cum itaque ab Effectibus prælucente Paulo Christianus Philosophus argumentatur ad causam, quis processum illum non admittat esse demonstrativum? quis generare scientiam negabit? quis non instantiam à proposito alienam repudiet? disparem indicando rationem objecti credibilis, notitia obscura apprehendendi, & scibilis per sufficientem rationum apparatus & evidentem demonstrationem amplectendi; Ex hæc vero, quia præsuppositâ Scripturæ Majestate, divinitate & auctoritate, quam Solis radio ex criteriorum undique resplendentium nexu descriptam & probatam dedere nostri Theologi, imprimis Reverend. & Amplifs. D. Nicolai contra Laurentium Forerum, evidenter, absit Sophistica verbo ex consensu Vet. & Novi Testamenti, Vaticiniis ante tot secula proditis, & historia complementum superaddente demonstrari potest; Christum esse, esse Messiam promissum, nisi velimus admittere mentes Christianorum non esse sufficienter convictas, de hoc Cardinali religionis nostræ articulo, nisi operam luserint Theologi tum Pontificii, tum Calviniani,

tum